

mētū hoc magnum est, dico autem in Christo, & in ecclesia. Ephe. 5. Ideo aliquid breue de illis nunc dicendum.

Pro gratia Aera Maria.

Inter cætera bona, quæ pro homine diuina prouidentia, cui cura est de nobis, ordinauit, non minimum imo præcipuum est matrimonii sacramentalis institutio, quo conuenienti ordine humana species conuersatur, indiuidua multiplici adiutorio consolantur, contra carnis incentiua, & fomitis tyrannidem remedium præstat, ad summa Dei collata nobis beneficia intelligendum, illuminatiua significatio instituitur, & ad politicum homo conuictum sacramentali gratia roboratur, in quo magna, & singularis Dei cura pro nobis carnalibus declaratur. De cuius matrimonii commendatione quemadmodum denique in matrimonio uiuendum sit, nunc pauca dicenda sunt. Nuptias itaque esse licitas ad literam satis probat Christi matris, & discipulorum præsentia, ac primi miraculi pro Christo exhibitio. Si enim secundum legem nuptiarum coniuges conuersentur, ut ibi maneat Iesus cum matre, & discipulis domini. Dimissis igitur quæ matrimonii substantiam concernunt, Videndum est primum de matrimonii commendatione.

Ad matrimonii commendationem inter plura hoc solum sufficiat, quia sacramentum est vnum de septem sacramentis nouæ legis, singularissimo munere ecclesiæ Christi sponsæ liberaliter condonatis. Nec solum vnum est inter cætera, sed præ ceteris excellens, & primum institutionis tempore, loco, finis efficacia, & significatione.

Antecessit itaque sacramentum matrimonii saltem quantum ad matrimonii institutionem, & si non quantum ad sacramentum prioritate temporis, & loci, immo & status hominis. Cætera enim sacramenta post peccata, & propter peccatum exordium sumperunt. Matrimonium etiam ante peccatum, quia in principio creationis hominis, dum adhuc in statu consisteret innocentie,

prius quam peccaret, legitur à domino institutum. Et cum cætera in exilio, quo homo propter peccatum patria pulsus relegatus est, instituta sint, illis in loco, quo in terris dignior non est, soli innocentie statui conueniens, in paradiso. s. voluptatis noscitur institutum. Teste nanque scriptura Gen. 1. & 2. per os Adæ dixit dominus, statim formata Eua de viri costa. Relinquit homo patrem suum, & matrem suam, & adhaerebit uxori suæ. Præmisit denique dominus, Crescite, & multiplicamini &c. Excellit quoque quantum ad finis propinqui efficaciam. Nam ut dicit Magister, Cætera sacramenta sicut post peccatum, ita & propter peccatum remediandum instituta sunt. Ideo si homo non peccasset, cætera sacramenta ut dicit Sco. in 4. dist. 26. non fuissent instituta. Illud autem in officium institutum est spirituale & in remedium, & quantum ad utrumque excellentiam habet, & prioritatem Nam in officium propagationis humanæ naturæ institutum est, sine quo nec homo nasceretur, cui cætera seruirent, & exhiberentur sacramenta. Non enim prius quod spirituale est, sed quod animale, deinde quod spirituale 1. Cor. 15. Quantum ad remedium institutum est post peccatum contra tentationem carnis nobis familiarissimam, & ignem concupiscentie naturalem, gladiumque ferientis inimici acutissimum, in remedium, nõ curatiuum peccati commissi sicut cætera, sed quod longè nobilissimum est in remedium præseruatiuum à peccato, ne committatur. Hinc apostolus 1. Cor. 7. Propter fornicationem. s. vitandam vnusquisque suam habeat uxorem, & vnusquisque suum habeat virum. Quis enim dubitat eligibilis esse præseruari à lapsu, quam post lapsum releuari? Et de hoc Augu. ut allegat Magister dist. 26. quarti infirmitas inquit incontinentie, quæ est in carne per peccatum mortua, ne cadat in ruinam flagitiorum, excipitur honestate nuptiarum.

Significatione demum omnia excipit, quia signum est summi beneficii hu-

Matrimonium à quo institutum & ad quid.